Dan 9,13 - 10,16

lum hoc uenit super nos. Et non rogaui-
mus faciem tuam domine deus noster. ut
reuerteremur ab iniquitatibus nostris
et cogitaremus ueritatem tuam;
IX,14 Et uigilauit dominus et adduxit eam super
nos. Iustus dominus deus noster in omnibus; ope-
ribus suis quae fecit. Non enim audiuimus
uocem eius. Et nunc domine deus noster qui e-
duxisti populum tuum de terra aegypti
in manu forti et fecisti tibi nomen
secundum diem hanc. peccauimus
iniquitatem fecimus domine in omnem
iustitiam tuam. Conuertatur obsecro
ira tua et furor tuus a ciuitate tua
hierusalem et monte sancto tuo; prop-
ter peccata enim nostra et iniqui-
tates patrum nostrorum hierusalem
et populus tuus in obprobrium sunt om-
IX,17 nibus; per circuitum nostrum. Nunc ergo
exaudi deus noster orationem serui tui
et preces eius. Et ostende faciem tuam
super sanctuarium tuum quod desertum est
propter temet ipsum. Inclina deus
meus aurem tuam et audi. aperi ocu-
los tuos et uide desolationem nostram
et ciuitatem super quam inuocatum est no-
men tuum. Neque enim in iustificatio-
nibus; nostris prosternimus preces ante faci-
em tuam. sed in miserationibus; tuis
multis. Exaudi domine placare domine
adtende et fac ne moreris propter
temet ipsum deus meus. quia nomen tu-
um inuocatum est super ciuita-
tem et super [populum] tuum. Cumque

adhuc loquerer et orarem et confite-
rer peccata mea et peccata populi
mei israhel. ut prosternerem preces meas in
conspectu dei mei. pro monte sancto dei mei
adhuc me loquente in oratione.
Ecce uir gabrihel quem uideram in uisio-
ne principio. cito uolans tetigit me
in tempore sacrificii uespertini. Et do-
cuit me et locutus est mihi dixitque
danihel. nunc egressus sum ut doce-
rem te et intellegeres ab exordio precum
tuarum. egressus est sermo. Ego autem ueni
ut indicarem tibi quia uir desideriorum
es. tu ergo animaduerte sermonem
et intellege uisionem. lxx ebdomades
adbreuiatae sunt super populum tuum et super
urbem sanctam tuam ut consummetur preua-
ricatio et finem accipiat peccatum. Et de-
leatur iniquitas et adducatur iusti-
tia sempiterna et impleatur uisio
prophetiae et unguatur sanctus sanctorum. Scito
ergo et animaduerte ab exitu sermonem
ut iterum aedificetur hierusalem usque
ad christum ducem ebdomades septem. et eb-
domadae sexaginta duae sunt. Et
rursum aedificabitur platea et muri
in angustia temporum. Et post eb-
domades lx. duas occidetur christus et non
erit eius et ciuitatem et sanctuarium dissipa-
uit populus cum duce uenturo et finis e-
ius uastitas. et post finem belli statuta
desolatio. Confirmauit autem pactum IX 27
multis ebdomada una. Et in dimedio
ebdomadis deficiet hostia et sacrificium.

License: public_domain – München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 29265(7, 16r – Old Testament
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-whvz/10120/73695)